

Fh. 12.



5

L E G E S
SCHOLÆ HER-
BORNENSIS:

Quam nuper
ILLVSTRIS AC GENEROSVS DO-
minus, Dominus IOHANNES COMES A NASSOVV
Catzenelnbogen, Dietz, Vianden: Dominus in
Beilstein &c. in oppido Herborna feliciter ape-
ruit.



Anno 1585.




J E C E 2

SCHEIDUNG

BORNEISE

ILVSTRIS AC CENSEROSVS DO-
minus Dominus Johannes Comes Nassov
Cancellarius etc. Dicit, Nuptias, Dominus
Beilstein etc. in opusculo Herborna Johanna

III.



Anno 1722



IOHANNES PISCATOR

SCHOLAE HERBORNENSIS

prorector candido Lectori. S.



CAUSAE quæ Christianos magi-
stratus mouere debent, ut Chri-
stianas scholas instituant, præcipuæ
hæ sunt: Vna, ut iuuentus in bonis
literis ac disciplinis, cum primis ve-
rò in doctrina celesti erudiatur: al-
tera, ut ad honestos mores, maximè verò ad timorem
Dei (qui omnis solidæ sapientiæ initium & caput est)
informentur: quod quidem utrumq; eò spectat, ut ali-
quando necessarijs Dei donis instructi, tum ad ministe-
rium ecclesiæ, tum ad gubernationem politiæ adhibean-
tur. Quæ res cum hac singulari & eximia utilitate con-
iuncta est: ut & nominis diuini gloria per salutarem i-
psius cognitionẽ illustretur atq; ad posteros propagetur,
& Christus Dei filius quam plurimis ad ipsorum æter-
nam salutem innotescat, & ad politias quæ sunt Eccle-
sia hospitia, multiplex inde fructus redundet: quem sa-
pientibus cogitandũ malum relinquere, quam longa
oratione persequi. Et sanè cum Antichristus animad-
uerteret, regnum suum per scholas in Germania con-
cussum & labefactatum: hanc vnã eius denuò fulcien-
di expeditissimam iudicauit rationem, si scholas, easque
numero propè infinitas, maximisque beneficijs dotatas,
constitueret: In quibus ad omnis generis sophismata &

A 2

adsum-

ad summam hypocrisin inde à pueritia iuuentus forma-
retur, vel potius deformaretur: atque re ipsa & facto il-
lud Platonis exprimeret, non esse maiorem iniustitiam,
quàm cum iniustus sis, hoc agere ut iustus videaris: quo
ipso nihil aliud agit ac molitur Sathan, quàm ut specio-
sa larua doctrinae & simulata pietate verã doctrinam
& solidam pietatem omnem, tanquam Solem è mundo
tollat. Cui malo nisi contrario remedio, & quidem præ-
sente, occurratur: quid porrò expectandum quàm sana-
tio vulneris bestiae? de qua Joannes in Apocalypsi vati-
cinatur. Quae sanatio nisi piorum magistratum vigilan-
tia (quãtum in ipsis est) auertatur, magno suo malo ex-
periẽtur furiosas sanatae bestiae vires ad libertatem cum
corporum tum conscientiarum è medio tollendam, ac
seruitutem pristina illa Babylonica longè duriolem in-
uehendam, quare quid sub cælo esse queat tristius? Et
sanè quicquid Antichristus Romanus hætenus Ger-
maniae nocuit, id præcipuè scholis pötificijs debemus. Se-
quamur ergo medicorum consilium, & contraria con-
trarijs curemus: ut lux Euangelij, ex eaq; manans con-
scientiarum libertas, multiplici maiorum nostrorum
cura periculisque fortiter superatis à Deo concessa, non
solum apud nos conseruetur, sed etiam fideliter posteris
nostris de manu in manum tradatur: velut pretiosissi-
mum Dei donum, quo sub cælo nihil augustius. Nisi for-
te malimus nostra ignavia, auaritia & sordibus, calli-
dissimis hypocritis verum Dei cultum denuò corrup-
pendum prostituere, causamq; Dei turpiter negligere,
nostrisq;

nostrisq; reculis parcendo rerum nostrarum summam
in extremum discrimē abducere. A quo cum etiam sen-
sus communis abhorreat: neminem fore arbitramur,
qui verè Christianarum scholarum constitutionem u-
tilem ac planè necessariam esse sit negaturus.

Quæ causæ etiam illustrem ac generosum D. Iohan-
nem Comitem à Nassou, Catzenelnbogen, Dietz,
Vianden: Dominum in Beilstein &c. dominū nostrum
clementissimum mouerunt, ut de constituenda pietatis
& bonarum literarum schola seriam cogitationem &
sollicitam curam susciperet: suoq; factò alios ad imitan-
dum prouocaret: certò persuasus, se nullare æquè glori-
am Dei promoturum, ac tum suæ tum alijs ditionibus
profuturum, quàm si procuraret, quam plurimos be-
nenatos adolescentes solida pietate imbui, & ad Eccle-
siæ & Reipub. administrationem informari: memor il-
lius præcepti Christi, *Ambulate dum lucem habetis.*
Metuendum enim ne tempus veniat, quum multi ma-
gistratus cupient scholas constituere, nec poterunt: par-
tim idoneis viris ex hac vita euocatis, partim facul-
tate alijs de causis adempta: Deo ingrati nostram
cunctationem iusto iudicio seuerè castigante. Præcla-
rum certè institutū & tãto Comite dignum: quo quantū
in se est, impendentibus malis salutari remedio occur-
rere conatur: nihil metuens ne nox nos opprimat inter-
primos conatus: quum Deo boni odoris sit sacrificium,
si labascente iam mundo, vel in ipsis primordijs laboran-
tes, ipsius deprehendat aduentus. Sicut contrà, multo-

rum etiam acceptorum talentorum iniqua sepelitio, atque
in opere Domini cessatio, abominationi ipsi erit. Lau-
dat certe Servator noster servum quem vigilantem in opere
heri sui deprehenderit: Et additis etiam talentis cona-
tum coronat: Contra vero cunctantem in collocando
uno, graviter mulctat: non ob unicum acceptum, sed
defossam.

Formam autem scholæ, auditis doctorum homi-
num sententijs, hanc iudicavit optimam Et fini propo-
sito assequendo accommodatissimam: si partim publi-
ca esset, partim privata. Vtriusque prælectionum ordo
in tabula subiecta ante oculos ponitur. Quoniam au-
tem disciplina in homine impio sunt velut gladius in ma-
nu furiosi; censuit generosus Comes, pijs legibus ceu vin-
culis, bonarum artium Et linguarum studia ad sinceram
religionem Et vitæ integritatem constringenda esse: eas-
que Celsitudinis suæ nomine promulgari voluit.

Postremo quum magistratus à S. S. non abs re nu-
tritij ecclesiæ vocentur: noluit hoc nomen sine re gerere
benignissimus Comes, ac proinde quum multa præclara
ingenia difficultate sumtuum à studijs literarum deter-
reri, multos etiam feliciter inchoatum studiorum cur-
sum eadem de causa abrumpere animadverteret: non
modò subditorum, sed peregrinorum quoque sumtus libe-
ralitate sua subleuandos censuit. Itaque alimenta in eum
qui sequitur modum, studiosis (quot quot beneficium
hoc expetunt) præberi voluit: ut in Oeconomia à celsi-
tudine sua constituta duo sint mensarum genera: in quo-
rum

rum uno lautior, in altero minus quidem lautus, sed ta-
men sufficiens & salubris victus apponatur. Qua in re
tūm diuitum, tūm pauperum eam rationem habuit: ut
utriq; sumtu non parū leuentur. Nam pro victu lau-
tiore Oeconoſchole non ampliū penditur, quā in
annum floreni rotati (quos Radrenſes vulgo nomināt)
viginti octo: pro tenuiore autem, floreni ſedecim: de qua
tamen ſumma ſubditis generoſi domini & vicinorum
Comitum, qui ad œconomiam aliquid ſumtuum confe-
runt, quatuor floreni remittuntur. Omnibus autē præ-
ter prandium & canam ientaculum datur. Atq; omni-
no curatur, ut victus nō modò ſufficiens, verum etiam
ſalubris & mundè apparatus ſit: generoſi Comitum mu-
nifica liberalitate defectū pecuniæ compensante. Quin
etiam ſi qui docti & bonæ ſpei adoleſcentes, in primis ſa-
crarum literarum ſtudioſi, ex alijs ſcholis huc veniant,
qui ne minores quidem illos ſumtus ferre poſſint, ii gra-
tis, idq; ſine vlla obligatione aluntur.

Superest ut ſicut promiſimus, tum lectiones earum-
que ordinem, tum leges ſchole, oculis candidi lectoris
ſubiiciamus. Precamur autem Dominum, cuius vni-
us gloria cum ſalute Eccleſiæ coniuncta, hoc inſtituto
ſpectatur: ut hiſce initijs quæ ab ipſo profecta ſunt, cle-
menter benedicat: ut iactum iam in hac ſchola celeſtis
doctrinæ ſemen, licet coram oculis noſtris inſtar ſinapis
appareat, tamen ipſius favore in eam amplitudinem
excrescat, quam ipſe nouit Eccleſiæ & Reipublicæ eſſe
ſalutarem: ac reipſa teſtatam faciat veritatem pro-

A A miſſionis

*missionis suæ, Non erit inanis labor vester in Do-
mino.*

INDEX LECTIONVM SCHOLAE HERBORNENSIS.

Lectiones publica.

Lingua Hebræa, ex psalmis Davidis & libris Salomonis.
Lingua Græca, ex Demosthene, Isocrate: Thucydide, Xenophon-
te: Homero, Hesiodo.
Dialectica Philippi.
Dialectica Rami. Orationes Ciceronis. Ars poetica Horatij.
Mathesis.
Physica.
Chronicon.
Sacra Theologia ex libris prophetarum, Euangelistarum, Apo-
stolorum: item ex institutione Caluini.
Præterea diebus Mercurij & Sabbathi, exercentur studiosi, dispu-
tando, declamando, concionando.

Lectiones primæ classis.

Grammatica Græca.
Liber aliquis noui testamenti Græcè.
Oratio Isocratis ad Dæmonicum.
Batrachomyomachia Homeri.
Rhetorica Thalæi.
Aeneis Virgilij
Dialectica Rami.
Officia Ciceronis.

Lectiones secundæ classis.

Grammatica Latina. Epistolæ familiares Cic.
Etymologia Græca.
Plutarchus de puerorum educatione.
Gnomæ Theognidis & Phocylidis.
Doctrina de tropis ex Rhetorica Thalæi. Prosodia.
Aeneis Virgilij.
Initia Dialecticæ Rami.
Dialogi Ciceronis de Amicitia & de Senectute.

Lectio.

Lectiōnes tertia classis.

Etymologia Latina. Epistolæ selectæ à Sturmiō.
Syntaxis Latina. Eclogæ Virgilij.
Elementa linguæ Græcæ.
Fabulæ Aesopi Græcè.

Lectiōnes quarta classis.

Etymologia Latina & Syntaxis, Epistolæ selectæ.
Disticha Catonis.

Lectiōnes quinta classis.

Elementa etymologiæ Latinæ ex Donato.
Dialogi Corderij.
Fabellæ Aesopi Latinè.
Nomenclatura.

Lectiōnes sexta classis.

Sententiæ Biblicæ, Germanicè.
Docentur legere, declinare nomina, coniugare verba,
pingere literas.

Communia.

Catechesis exercetur per omnes classes.

Musica & Arithmetica in 4. classibus superioribus.

Die Dominico hora tertia examen catecheticum coniunctis omnibus classibus habetur.

Bis per hebdomadem proponitur & corrigitur exercitium styli Latini, in superioribus quatuor classibus. Quisque præceptor corrigit in sua classe quædam publicè, recitante puero: reliqua domi: & eadem hora aliud argumentum dictat.

Carmen componunt semel in hebdomade, qui à præceptore iudicantur idonei, in superioribus duabus classibus: In iisdem classibus semel datur exercitium styli Græcum.

Die sabbathi hora duodecima pro loco disputant.

B

LEGES

LEGES SCHOLAE HERBORNENSIS.



ECUM praecepta Dei, tam praeceptoribus quàm discipulis scholae nostrae, unica rectè viuendi norma sunt.

Praeceptores diligenti cura, quotidiana inspectione, frequenti admonitione, denique aqua & ex paterno animo profecti in transgressores animaduersione operam dant, ut discipuli secundum haec Dei praecepta vitam per Dei gratiam instituant.

Ante animaduersionem seu castigationem, aduersus quod praeceptum diuinum deliquerint, edocentur: ut doctrina cum castigatione coniuncta, ad timorem Dei formentur.

In primis verò discipulos de principe studiorum scopo, gloria Dei & propagatione caelestis doctrinae ad posteros frequenter admonent.

Præterea sedulitate atque assiduitate officij, honestate & grauitate morum, pietatem suam erga Deum discipulis testatam faciunt.

Operas quisque suas fideliter obeunt: nec sine permissu Rectoris quicquam unquam abesto.

In puncto horæ suam quisque classem ingreditur: nec nisi hora elapsa, discipulos dimittit.

Ipsi inter se collegæ humanitatem & amicitiam colunt: dissidia, distractiones, simulas studiosè fugiunt.

Nemo priuatim lectionem ullam habet: sed quibus id mandatum fuerit, lectiones in schola habitas à pueris repetunt.

Porro discipuli qui studiorum gratia ad scholam nostram venerint, hospitio apud honestum ciuem aut praeceptorem conducto, absque mora rectorum accedunt, seque illi examinandos sistunt: ut eis lectiones vel classicae vel publicae assignentur: denique Rectori obedientiam promittunt.

Grandiores natu antequam in numerum studiosorum nostrae scholae recipiantur & à Rectore inscribantur, iurant se doctrinam de Deo sicut symbolo Apostolico & Athanasiano & Niceno comprehensa est, profana & orthodoxa amplecti: nec quicquam illi contrarium vel publicè vel priuatim profiteri velle.

Schola nostra studiosi omnes ad sacras conciones tempestiuè accedunt, religiosè & cum attentione ijs intersunt: librum Psalmorum uniuersi, & nouum testamentum grandiores secum habent: finita concione ephoro alijsve praefectis caput aliquod doctrinae concione obseruatum recitant.

Sermo omnium ubique Latinus esto, & mores verecundi.

Qui ex classium quatuor superiorum discipulis notam vernacula lin-
gua aut incivilitatis morum habuerit, duas plagas accipito.

Vestitus sit honestus, qui scolasticum deceat.

Rixas, conuitia, probraque omnia publicè & priuatim cauento.

Cauponas, & tabernas publicas vitanto.

Libellos famosos aut alia scurrilia scripta, sub graui poena nullus
spargito.

Singuli tam publici quàm classium discipuli, lectiones sibi præsriptas
diligenter audiunt: qui tardius venerit, aut emanserit, à preceptore suo
aut ipso Rectore punitor: nisi aut veniam habuerit, aut aliàs idoneam excu-
sationem attulerit.

Preceptorem docentem singuli summo silentio summaque attentione
auscultant: & quæ ab eo dictantur, diligenter annotant.

In schola extra oeturiam ne sedent.

Custos oeturia, primus omnium in schola adesto: lectionem ad discen-
dum propositam, à commilitonibus exigit: tardius venientes emanentes-
ve notato.

Si custos in scholam venire aliqua hora non poterit, tum qui ordine
proximus est, illius munere ea hora fungitor.

Ante preceptoris aduentum, nihil strepitus, clamoris aut turbarum
mouento.

Exercitia styli stato tempore exhibento: ad eorumque emendationem
sedulo animum aduertunto.

Qui publicas lectiones audiunt, eorum quisque declamationem singulis
semestribus componito, & quum Rectore iusserit, publicè recitanto.

Qui laborem hunc subterfugerit, dimidio floreno mulctator.

Item qui sine iusta causa (id est quam Rectori probare poterit) lectio-
nem audire neglexerit: tribus albis mulctator. Si fraudem legi fecerit, aut
falsa excusatione usus fuerit: ei mulcta duplicator.

Ad repetitiones & disputationes parati meditatiq; accedunto.

Animi relaxandi gratia dimissi, loca suspecta ne adeunto: nec ab alijs
separantor: hortis etiam & pratis ciuium nullum damnum danto: nec in flu-
uio lauanto: nec immodestum quicquam, temerarium aut periculosum ag-
grediuntor.

Ludos cum pietate pugnantes, ut aleam, chartas, tesseras, fugiuntor:
idem de piscationibus & aucupijs præceptum esto.

Argentum in certamen ludum ve ne deponuntor.

Extra remissionis tempus, domi & foris lusiones omittuntor.

Cum nemine præterquam cum commilitonibus luduntor.

Arma ne gestanto. Qui gestauerit, ijs à Reçtore priuator.

Ebrietatem symposiaq; fugiunto.

Noctu in plateis ne vagantor. Deprehensi à vigilibus oppidi, carceri publico è vestigio includuntor, & manè Reçtori indicantor. Prava sodalitia cauento.

Discordias ne serunto: & à factionibus abstinento.

Permutationes aut venditiones inter pueros irrita sunt.

Reçtoris & praeceptorum praefectorumq; pias admonitiones libenter audiunto & equo animo ferunto: neque ijs responsanto.

A schola nulli sine Reçtoris aut praeceptoris venia emanento: nec vagantor: nec abnoctanto: neque quoq; profectioes suscipiunto.

Mania ciuitatis, turres, publicave adificia & arbores ne conscendunto: ab equis etiam abstinento.

Ab omni obscenitate & stultiloquio abhorrento.

Peccantem admonento: aut si admonitionem non admittat, praeceptori Reçtorive indicanto.

Qui se pro studioso geret, nec tamen schola legibus obtemperabit siue lectiones praescriptas negligendo, siue in bonos mores peccando: ei in hac vrbe commorandi locus non dabitur.

De officijs domesticis contubernaliū.

Singula contubernia praefectum habento.

Praefecti contuberniorum auctoritatem suam grauitate morum tuentur: pueros inspectioni suae commissos diligenter obseruanto, & in assiduo literarum studio ac honestate morum continento.

Praelectiones in schola habitas, concionesque sacras ab illis repetunto.

Qui seorsim habitant, contubernio proximo se adiungunto: & illius praefecto parento.

Mane hora quinta, singuli surgunto, stragula componunto, manus & os lauanto, ad preces quum signum dabitur, maturè veniunto.

Qui tardius ad preces venerit, plagam unam: qui omninò emanserit, duas accipito. Diligentiores tamen turpe ducent, ante lucana opificum vincii industria.

Prandium & Canam precibus inchoanto & finiunto.

Inter prandendum & canandum vel omnino tacento, vel de studijs suis aut alijs rebus honestis Latine colloquantor.

Horis silentij (quod indicere, custodis erit) singuli discunto: qui ceteros turbauerit, quatuor obolos: qui interim aliud egerit, duos soluito.

Qui

Qui praefectorum examini non vacauerint, sex obolis mulentur.

Singulis hebdomadibus vnus è superioribus classibus officio custodis fungitor: ex inferioribus verò alius cubicula diebus Mercurij & Sabbathi purgato, & similia ministeria contubernalibus praestato.

Nemo alibi quam in suo cubiculo pernoctato; aut alterius somnum turbato.

Ignem & candelas minimè negligenter habento.

Singulis Sabbathis mulctas soluunt, aut inde duplicant.

Hospites hospitasque suas singuli obseruant, & instar parentum colunt: nullam eis molestiam strepitu, contumelia alia veratione exhibent.

Qui contra fecerit, à Rectore pro arbitrio castigatur.

Nemo damnum in hospitij dato: aut datum, sine mora & tergiversatione sarcito.

Latino tantum sermone inter se vtuntur: cuius facultate si qui destituantur, & tamen necessariò apud praefectum loquendum sit, veniam prius sermonis vernaculi ab illo petunt. Idem in schola apud Rectorem praeptoresque obseruant.

Qui praefecto morem non gesserit, is à praefecto apud Rectorem accusator: & ab illo pro ratione contumacia castigatur.

Refractarij & rebelles, tanquam pestes è schola nostra exterminantur.

Qui citra rebellionem, ad literarum studia inepti deprehendantur, de illis parentes ipsorum aut tutores maturè à Rectore admonentur.

Praefecti singulis mensibus has leges contubernalibus suis legunt.

F I N I S.



Ga 4031

ULB Halle 3
003 564 959



TA → OC

H2, 21. ↑

抄本

NC





5

LEGES
SCHOLÆ HER-
BORNENSIS:

Quam nuper
ILLVSTRIS AC GENEROSVS DO-
minus, Dominus IOHANNES COMES A NASSOVV
Catzenelnbogen, Dietz, Vianden: Dominus in
Beilstein &c. in oppido Herborna feliciter ape-
ruit.



Anno 1585.

